1508|1334.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FRIGORE.

Mr. Philips with Compts from
the Author

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, QUÆDAM DE Frigoris Generalioribus in Corpora viva Effectibus, ejusque usu in Morbis Febrilibus fugandis, COMPLECTENS.

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS HOLMAN,

ANGLUS.

" *Hae quoque non cura nobis leviore tuendae;*
" *Nec minor usus erit.*"———

Pub. Virg. lib. 3. ver. 305.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXIX.

BRITISH MUSEUM
15
66
SEP

VIRIS EXIMIIS,

JACOBO GREGORY, M.D.

IN ACADEMIA EDINBURGENA

MEDICINAE THEORETICAE,

DIGNISSIMO PROFESSORI,

SOCIET. REG. EDIN. SOCIO,

&c. &c.

ATQUE,

THOMAE HAY, ARMIGERO,

COLLEG. REG. CHIRURG.

QUOD EDINBURGI EST,

SOCIO SPECTATISSIMO,

VALLIAE PRINCIP. IN SCOT.

CHIRURGO,

&c. &c.

CUM OB CONSILIA ATQUE PRAECEPTA,

TUM OB PLURIMA ALIA BENEFICIA

IN SE COLLATA,

HOC TENTAMEN MEDICUM

SACRUM VOLUIT

JACOBUS HOLMAN.

15
66
SEP

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

FRIGORE.

DIU credidere philoſophi et chemici frigus veram ſubſtantiam eſſe, exque particulis, quas frigorificas dixerunt, conſtare. Hinc hypotheſes bene multas et concluſiones incertas, atque inutiles, de frigoris actione deducere ſolebant.

Inter philoſophos recentiores nunc conſenſum eſt, frigoris notionem in ſe aliquid relationis ferre, atque *vocabulum* ipſum ſolummodo mino-

rem caloris gradum, et nihil amplius notare: Hunc igitur ſenſum in paginis ſequentibus verbo FRIGORI adhibebo. Pauculis de caloris animalium generatione praemiſſis, de frigoris effectibus, in corpus humanum, quaedam breviter proferre in animo eſt. His enim factis, clarius commoda ejus in morbis febrilibus monſtrare poterimus.

DE ANIMALIUM CALORIS ORIGINE.

De animalium caloris ortu, theoriae diverſae, diverſis temporibus, viguerunt. Ad motum quendam inteſtinum, miſturam, nimirum, et fermentationem putreſcentem, eum nonnulli retulerunt. Aliis complacitum eſt, eum attribuere motui mechanico, ſanguine et reliquis fluidis in vaſorum parietes vehementer attritis.

Sunt

Sunt alii, qui dicunt phlogiſton ex ſanguine inter circumeundum evolvi, quo fit, ut caleant animalia. Opinio demum pluribus hodie eſt, cujus honorem tulit ille chemicus ingenioſus et medicus Adair Crawford, calorem animalium quodammodo in pulmonibus inter reſpirandum gigni. Omnium maxime haec veritati appropinquare videtur. Is, ex multa experientia atque obſervatione ſe inveniſſe credit, aut reſpiratione aut ullo quocunque modo, quo aër atmoſphaericus phlogiſto inquinatur, calorem gigni. Hoc autem ipſum in pulmone inter reſpirandum obtinere poſuit. Aër enim intra pulmones aſſumptus ſuum calorem latentem ſanguini impertit, et mutuo phlogiſton a ſanguine accipit. Sanguis, ſic calore onuſtus, totum per corpus defertur redditurus calorem modo acceptum, cujus vice aliquid venenati et mephitici ex corpore haurit, mox etiam reſpirando reddendum: Hinc concludit, animalium calorem indirecte de aëris mutatione inter ſpirandum

randum facta, et directo de quadam mutatione, quam ſubit ſanguis vaſis ſuis circumactis, pendere. Hinc autem frigoris varios in humanum corpus effectus multo facilius comprehendere, atque cernere clarius, quomodo, frigore admoto, ſuum calorem naturalem retinere, aut ſuſtentare, corpus valeat, poterimus. Notare demum oportet, caloris gradum, quem, ſanitate integra, ſervat corpus humanum, vix 98 thermometri Fahrenheitiani unquam ſuperare, aut gradu nonageſimo ſexto decidere.

DE FRIGORIS GRADU IN CORPUS HUMANUM AGENTIS.

Frigus, hoc eſt, calor minor, imperium latiſſimum et ſeverum in res omnes exercet: Quantum ad corpus humanum attinet, vires ejus vel

abſolutae

abſolutae vel relativae conſiderari queunt. Abſolutam vim frigoris eam eſſe dicimus, quae temperiem illius corporis, cui adhibita fuerit, imminuere valeat, idque plus minus pro ratione vis frigoris admoti. Quum, ut ſupra notavimus, corpus vivum humanum conſtanter calorem graduum nonaginta octo aſſervet, omnis temperies inferior pro frigore, quod ad corpus, habenda eſt. Calor vero corporis humani, lege a natura lata, nullam diminutionem patitur, donec admotus fuerit is frigoris gradus, cui reniti longius nequit: Ipſe gradus autem, quantum ex obſervationibus et experimentis colligi poſſit, qui calorem minuere valet, eſt ſexageſimus circiter ac ſecundus thermometri ſupra dicti. Ex his vero prolatis conſtat, omnia huncce infra gradum frigida, noſtris corporibus admota, temperiem eorum naturalem minuere poſſe *. Ita certe in hac regione res ſe ferunt; aſt

* Firſt Lines, § lxxxviii.

aſt in frigidiore infra, in calidiore ſupra hunc, gradus frigoris, apud quem corpus humanum revera frigeſcit, rite ponitur *. Quaeritur, num, quae ſupra gradus 62 ſint calida, calorem corporis humani augeant; hocque tanto, quanto magis caleant? Si certa ad experimenta † nuper compoſita, in hac re ipſa inſtituta, reſpiciamus, hoc non fieri forſan inveniemus, ſed viventis corpus potius vi quadam eſſe praeditum, qua potentiae caloris ei admoti, certos intra fines, fortiter reſiſtatur.

Ita conſtituta ſunt corpora hominum, ut ſenſationum ſuarum vigor, minime tam multum de vi impreſſionum ipſa, quam de conditionibus antegreſſis, pendet ‡. Sic aqua, aliudve fluidum, ab eodem homine, tempore eodem, circumſtantiis

* Diſſertat. Inaug. Arch. Cullen.

† Exper. of Fordyce, Blagden, &c.

‡ Firſt Lines, § lxxxix.

ſtantiis tantum certis antecedentibus paululum diverſis, et calida et frigida ſentiri poteſt. Cuique volenti perfacile factu eſt periculum. Senſationes iſtae diſſimiles pro cauſa agnoſcunt diverſum caloris gradum, cui bina membra, puta manus, eodem latice immerſa, antea expoſita fuerunt. Hinc enaſcitur ea vis frigoris quam relativam appellamus, quamque Doct. Arch. Cullen verbis definire placet: " Poteſtatem, " autem illam," inquit, " qua ſenſus frigoris, " a ſola mutatione temperiei, nulla ratione vis " frigoris abſolutae habita, cietur, ejuſdem vim " relativam dicimus." Haec vis frigoris relativa, quantum ad corpus humanum ſpectet, fieri, in quibuſdam gradibus, nonageſimum octavum infra gradum, ſemper ſolet; et ratio ſtata inter mutationis magnitudinem et graduum numerum regulariter obtinet *. A nonnullis quidem poſitum eſt, ſenſationem eſſe majorem, quae

* Diſſert. Inaug. Arch. Cullen, cap. 1.

quae enaſcatur a temperiei mutatione, a quibuſlibet gradibus ſupra ſexageſimum ſecundum ad alium illo inferiorem facta, quam, quae progenita ſit a ſimili mutatione in gradibus, quorum infimus non ad ſexageſimum ſecundum deſcenderit.

Quaeque temperiei mutatio, a ſuperiore ad inferiorem, frigoris ſenſum producit: Sed ſi iſta mutatio haud infra gradus ſexaginta duos deſcenderit, ſenſus frigoris mox in caloris ſenſum convertetur. Simili quoque ratione, quaevis mutatio ex inferiore temperie ſuperiorem verſus caloris ſenſationem gignit; ſin autem mutatio facta minime ad, vel ſupra, gradum ſexageſimum ſecundum aſcendat, caloris ſenſatio mox evaneſcet, et, temperie eadem aliquandiu manente, frigoris ſenſus ſubſequetur *.

Stimu-

* Firſt Lines, § lxxxix.

Stimulorum omnium fere, qui hactenus cogniti fuerunt, efficaciſſimus et maxime potens eſt calor. Alicui igitur frigoris definitionem, caeteraque praemiſſa, ſecum reputanti, forſitan videbitur, effectus ejus in corpora viva ſemper eſſe ſedantes : Attamen res factae huic obviam eunt opinioni; et, exemplis quamplurimis inſtructi, certe novimus, frigus admotum effectus diverſos, aeque ac mirandos, temporibus atque rebus diverſis, praeſtare.

DE FRIGORIS IN CORPUS EFFECTIBUS QUIBUSDAM.

Proximum eſt quaedam de frigoris effectibus in corpus humanum generalioribus ſtatuere. Hi vulgo recenſentur ſedantes, ſtimulantes, tonici, et aſtringentes.

In hiſce explicandis, ſemper in memoria tenendum eſt, vim quandam ſyſtemati nervoſo hominis viventis ineſſe, qua ſola ſenſus et motus perficiuntur. Haec vis nervoſa pro principio hominis vitali eſt habenda; nam, ea impedita ſeu laeſa, ſalus periclitatur, abolita, homo perit. Ut vigeat haec, et ſua ad munera valeat, caloris plus minuſve ei neceſſarium eſt. Ad vim nervoſam rite ſuſtinendam ac fovendam, corpus, ex naturae lege, temperiem, ad gradum 98 aſſurgentem, ſibi comparavit: Si autem aëris temperies infra gradum ſexageſimum ſecundum deſcenderit, poteſtas calorem gignendi minime ad idoneum aſſervandum ulterius, ut ſupra diximus, valet. Hinc nonnunquam neceſſe ſit, ne in his regionibus frigidis pereamus, ut ad veſtimenta, tecta, ignem, aut exercitationem duriorem, quibus algori occurratur, confugiamus.

Effectus

Effectus ſedans.—Frigus, ut dictum eſt, diverſimodis in corpus humanum agit, prout diutius aut brevius, fortius aut levius, applicatum fuerit. Vis ejus abſoluta ſemper plus minuſve ſedat, hoc eſt, ſenſum obtundit, motumque reprimit. Hac de re diſceptans Profeſſor Gregory ſic ſcripſit: " Haec" (ſedantia) " inter impri-" mis enumerandum eſt frigus, quo nihil certe " majore aut certiore vi ſedante in corpore hu-" mano pollet; ſcilicet quod, dummodo rite " admotum ſit; et ſentiendi facultatem mani-" feſtiſſime obtundit, motuſque omnes repri-" mit, et mobilitatem minuit, et ſoporem vel " ſomnum altiſſimum, et brevi mortiferum, " inducit." Eadem frigoris poteſtas a poeta celeberrimo Thomſon, his verbis eleganter quoque deſcribitur:

——" On

——————" On every nerve
" The deadly winter ſeizes ; ſhuts up ſenſe ;
" And o'er his inmoſt vitals, creeping cold,
" Lays him along the ſnows a ſtiffen'd corſe,
" Stretch'd out, and bleaching in the northern
" blaſt *."

Quamvis haecce potentia ſedans in gradibus omnibus inter nonageſimum octavum et ſexageſimum ſecundum quodammodo obtinere videatur, ideoque motibus minuendis in corpore jam exiſtentibus inſerviat, tamen haud admodum manifeſta fiet, aut vim principii vitalis minuet, donec infra gradum ſexageſimum ſecundum, temperies admota ſit : Nec quidem tum multum valet frigus, niſi, ut Profeſſor celeberrimus monuit †, intenſiſſime diuque univerſo corpori adhibeatur.

Haec

* Thomſon's Seaſons, Winter, line 317.

† Firſt Lines, § xc.

Haec de vi frigoris ſedante totum in corpus agentis dicta ſunt. Simul unicuique patebit, eandem vim in quaſdam partes, motum, ſenſum, et vitam ipſam aliquando delentem, ſaepe agere.

Effectus ſtimulans.—Medici de vi frigoris ſtimulante plurimas lites moverunt : Scilicet, enimvero, apprehendere haud facile eſt, quomodo ſtimuli illius abſentia, in natura potentiſſimi inveniendi, pro ſtimulante ullis ab ſanis unquam haberi poſſit. Hoc non obſtante, ſcriptores excelſiſſimae quidem famae, hunc eſſe frigoris effectum ſtrenue affirmarunt ; et, re ad experimentum redacta, confirmationem ampliorem acceperunt. Ingenioſus Archibaldus Cullen, veſtigia ſua filo patris ingenioſiſſimi dirigens, haec verba facit : " Hic ſenſus" (frigoris) " fere ſemper in partibus, quibus oritur, ſti-" mulo eſt : Hae enim ſtatim fiunt rubicundio-" res, quam antea, et, plerumque, ſenſu frigo-

" ris

" ris evaneſcente, ſenſus caloris mox ibidem " oritur." At porro, " Frigus," ait Profeſſor Gregory, " igitur corpori tantum ſtimulo eſt, " cum ſatis intenſum eſt, et ſubito et per breve " ſpatium adhibitum." Hoc modo illi agere " videtur ; " partim fortaſſe propter vehemen- " tum ſenſum, quem efficit (nam omnis ſen- " ſus vehementior corpori ſtimulo eſt) partim " quoque propter vim ſuam propriam, quam " muſculos etiam ſine ſenſu afficit."

Hicce frigoris effectus non, niſi a vi ejus relativa, provenire videtur ; atque inde pendens vi temperiei mutatae prorſus aequali tantum pollebit. Vis tamen haec ſtimulans apud gradus infimos aut etiam inferiores omnino deeſt ; gradus enim adeo intenſus dari poteſt, ut et ſenſilitatem et mobilitatem penitus citoque deleat *.

Effectus

* Firſt Lines, § xc. 2.

Effectus Aſtringens et Tonicus.—De vi frigoris aſtringente, ut et tonica, pauca demum dicenda ſunt. Nihil dubii eſt, quin frigus cum prudentia corpori univerſo, aut ejuſdem parti, admotum, mirum effectum tonicum et aſtringentem ſaepe praeſtet. Partes ſolidas noſtrorum corporum firmat, et quaſi denſat; idque magis perſpicue, ſiquando praeter ſolitum laxae vel ſolutae ſint. Hinc cutis leviter conſtringitur aut anſerina evadit; ex ſuperficie halitus cohibetur, certe imminuitur; ſanguis ad interiora plus minus brevi propellitur; ſpiritus, ſi frigus ſit ſubito et nec opinato admotum, frequentior, aut aliquando abnormis, fit; pallet nec raro ſummum corpus, ſaltem pars frigefacta. Si frigus intra certos, eoſque ſatis arctos limites, juſto tempore, admotum fuerit, effectus jucundos cum muſculis ipſis communicare ſolet; firmiores enim et validiores fiunt; vigor illis augetur; facilis fit labor et omnis exercitatio: Quod voluntariis, idem muſculis omnibus aliquatenus,

quatenus, accidit: Ab hac eadem vi frigoris, forſan, quodammodo pendet, quod, hiſce in regionibus ſeptentrionalibus, homines, hyeme ineunte et procedente, robur et firmitatem majorem ſaepe acquirunt, quae cum aeſtatis ingreſſu aliqua ex parte minuuntur. Hinc quoque incolae regionum calidiorum plerumque laxi et debiles ſunt: "Major enim calor," ut ſcriptor ſaepe citatus dicit, "ſenſum et mobili-"tatem auget, ſed vigorem ſimul minuit, ita ut "tandem exercitatio omnis, vel leniſſima, diffi-"cilis et laborioſa fiat *." Num laetos ſuos effectus edit frigus, in corpus vivum agens, ſolidum et ſimplex, et aliqua ex parte, vivum condenſando, quo illi tono naturali fibrarum motricium, unde vigor maxime pendet, auxilio ſit?

DE

* Conſp. Med. Theor. 1122.

DE MODIS, QUIBUS APPLICARI POSSIT FRIGUS.

Hactenus de frigoris, in corpus humanum agentis, gradu et effectibus disputatum fuit; nunc, antea ad usum ejus in morbis febrilibus fugandis quam eatur, pauca variis de modis, quibus corporibus nostris admoveri possit, differere in animo est. Et,

1*mo*, Aut universo, aut parti corporis, aëris medio solo adhibetur. Hic omnium modus usitatissimus et fortasse efficacissimus, quamvis, propter consuetudinem et usum quotidianum, multo minus saepe notabilis sit. Etiam aegrotis, qui neque ex cubiculo, nedum ex lecto exire queant, neque ejus applicationes violentiores

tolerare poſſint, maxime convenit. Hoc modo applicati frigoris effectus tardiores magiſque modici ſunt; quo fit, ut illis facilius moderari poſſimus. Hoc modo toti ſaepius corpori quam ejus parti (ſi excipias aëra in pulmonem per ſpiritum receptum) id applicari ſolet; ſic enim, ubicunque plane requiratur, non ſolum magis prodeſt, ſed multo etiam tutius, et ab omni fere periculo, dummodo modice adhibitum, vacat: Siquando autem in partem corporis ſingularem frigus, aëre medio, inferre voluerimus, neceſſe eſt, quo propria vi certius citiuſque polleat, ut per flatum adhibeamus. Effectus ejus ex applicatione, intra juſtos limites cohibita, univerſa praeſtantes facile agnoſcentur. "Facile intelli-
"getur," inquit Profeſſor Gregory, "frigus
"ſatis modicum, puta frigidulum aëra, reme-
"dium roborans haud levis momenti interdum
"fore, in variis morbis, cum vetuſtis tum acu-
"tis, praeſertim in iis ubi morboſa debilitas
"(quod minime rarum eſt) a nimio calore
"oriri

" oriri vel ingraveſcere viſa eſt." De his vero talibuſve fuſius dicemus, cum ad febriles morbos perventum fuerit.

2*do*, Frigus corpori vivo aquae interventu admovetur. Jam ſupra dixi aëra frigidum toti quam parti corporis aptius admoveri : Frigus autem aequo cum commodo et generaliter et ad partem, uſurpari poteſt, dummodo per fluidum, aquam nimirum, admotum ſit. Omnium primum frigidae vis aquae in ipſum ventriculum recipi poteſt, quae vi ſua roborante et refrigerante in morbis variis cum acutis, tum longis, haud parum profuit. Quin et aqua frigidula per anum injici poteſt, ubi variis in morbis, verbi gratia, menorrhagia, leucorrhoea, lochiis profuſis, ſimilibuſque, aliquid boni exequi forſan poteſt. Multo vero ſaepius aqua frigida univerſae corporis ſuperficiei vel ejuſdem parti adhiberi ſolet. Frigoris hoc modo applicati effectus ſaluberrimi tam bene noti ſunt, ut,

inter

inter medicos, et antiquiores, et recentiores, pro auxilio praesentissimo in multis casibus certe habiti fuerint. Vires frigoris multo citius, multoque fortius, aquae medio, quam aëris ejusdem temperiei acceptae, percipiuntur : "Quod," ut monuit auctor celeberrimus, "per materiam tanto densiorem calor corporis "multo promptius aufertur ; et omnis igitur "effectus frigoris, tam boni quam mali, citius "et fortius inducuntur *." Quocirca ab eo diutissime continuato praecavere omni cum diligentia debemus, ne pro robore infirmitatem potius corpori induceret.

3*tio*, Frigus corpori universo, certe parti, quoque applicari vapore a superficiei ejus exhalato potest. Neminem, vel paulum philosophiae peritum, nunc latet, fluidorum fere omnium evaporationem frigoris plus minusve gignere ;

* Consp. Med. Theoret. 1127.

nere; atque ex multa experientia liquet, quod, quo volatilius fluidum ſit et rapidius exhaletur, eo plus, tempore dato, frigoris ſenſum exequetur. Cum igitur velit medicus ſingularem corporis aegroti partem, verbi gratia, caput, cito tutoque refrigerare, huc ſaepe ſatis commode confugere licet. Aptius et uſitatius fit partem aqua, aceto, ſpiritu aliquo ardenti, aethere vitriolico, aliove humore volatili, humectando et poſtea leviter afflando. Hic uſus cum mania praecipue, et feroci illo delirio in febribus nonnullis ſuboriente, convenire videtur. Effectum quoque praeſtantem in quibuſdam anginae caſibus edidiſſe videtur. Nondum pro certo habemus, num etiam in certis febrilibus morbis toti corpori commode adhibeatur, necne.

4*to*, Auctores nonnulli ſibimet perſuaſerunt, ſales quoſdam neutros intus ſumptos, nonnihil frigoris, dum ſolvantur, generare; et porro, certos, dum formantur et adhuc efferveſcunt, eoſdem

eoſdem praeſtare effectus. De frigore autem, hoc modo edito, nobis non clare liquet: Atque, utcunque cadat, effectus tam leves et fugaces eſſe oportet, ut inde petere vix operae pretium ſit.

DE FRIGORIS IN FEBRILIBUS USU.

In hac diſſertationis parte peragenda, haudquaquam mihi ſententia ſtat febriles morbos omnigenos attingere; ſed potius in quibuſdam arcendis, certe mitigandis, frigoris uſum, quem comprobavit experientia, quam breviſſime commemorare.

Cauſa febrium proxima medicorum adhuc inquiſitionem, eheu! penitus eluſit. Hac ipſa re obſtruſa et maxime recondita, utpote quod neque

neque ingenia neque occaſio ſuſcipere moneat, memet nunc temporis non equidem involvam. Si, igitur, priuſquam ad utilitatem frigoris decantandam pergam, paucula prodiderim de phaenomenis febrium inſignioribus ut uſitatius obſervatis, propoſito meo ſatis prorſus fecerim.

Febres ſtrictius dictae ſeſe monſtrant primo laſſitudine et motus averſatione, debilitate, frigore et calore alternatim ſuccedentibus. Poſtea plerumque ſuperveniunt nauſea, vomitus, inquietudo, ſitis nullo fere potu extinguenda, appetitus proſtratus, ſenſibilitas laeſa: Pulſus ſemper frequens, aliquando magnus et validus, multo ſaepius vero parvus, debilis, et interdum abnormis. Frigent ſubinde extremitates; cutis ſaepe pallet, et membra omnia collapſa minuuntur. Vaſa minuta extrema ſpaſmo devinciri, atque admodum frangi cordis et arteriarum majorum actio, vigorque, videtur. Symptoma-

ta

ta haec ſingula teſtari cerebri vim quodammodo erutam eſſe tendunt; et quidem generi nervoſo male ſe habenti omnia forſan rite tribuuntur. Ingens damnum in febribus generi nervoſo inferri, etiamnum manifeſtius docent cauſae remotae. Eae enim omnes, qualeſcunque ſint, ſenſum motumque reprimunt, vires corporis compeſcunt, ſaltem debilitant. Hoc modo agere videntur contagio, miaſmata, frigus, metus, vigiliae, fatigatio, ſolis aeſtus, et caeterae poteſtates nocivae, quae febrem excitare haud raro obſervantur. Quin et eaedem potentiae febrium, ſi paululum remiſerint, paroxyſmos redintegrant, aut acceſſus certe feſtinant. Ex modo igitur dictis concludere maxime ducor, debilitatem, plus minuſve inſignem, febres plerumque anteire, ſemper comitari. Eodem quoque ſpectat ſententia Profeſſoris ſpectatiſſimi Cullen: "The remote cauſes," inquit, "are "certain ſedative powers applied to the ner- "vous ſyſtem, which diminiſhing the energy "of

rp®
research
publications

" of the brain, thereby produce a debility in " the whole of the functions, and particularly " in the action of the extreme veſſels *." Cum ſyſtematis debilitas tam magnam partem morborum febrilium conſtituit, id auxilium, quod ſigno illi periculoſo quodammodo obviam ire poſſit, medicis valde acceptum ſit oportet. Tale autem remedium eſt frigus, quo pluribus in exemplis nec alterum effectus laetiores edere valuerit. De hocce vero auxilio, ad quos febrium ſtatus praecipue accommodatum ſit, quos inter fines cohiberi debeat, vel quis operandi ſemper ſit ejus modus, dicere vix et ne vix quidem auſim.

Medici antiquiores, a quibus multum erraſunt recentiorum plerique, in curatione febrium admodum frigoris viribus nitebantur. " Inter " remedia febris ardentis," inquit Galenus, " primum

* Firſt Lines, § xlvi.

" primum locum apud omnes medicos obtinet " frigidae aquae adminiſtratio." Eadem prorſus curandi ratio, teſte Celſo, a medicis ejus aetatis comprobata eſt; ſic ille: " Ergo etiam " ingenioſiſſimus ſeculi noſtri medicus, quem " nuper vidimus, Caſſius, febricitanti cuidam " et magna ſiti affecto, cum poſt ebrietatem eum " premi coepiſſe cognoſceret, aquam frigidam " ingeſſit, qua ille epota, cum vini vim miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno et ſudore " diſcuſſit *." Eo quoque ſpectat ſententia Mercurialis: " Curantur autem omnes febres " imprimis potu refrigeranti; nam febribus, " quae ob ingentem ſitim fiunt, nullum auxili- " um praeſtantius eſt quam potus frigidus co- " pioſus †." His demum monitis, et teſtimoniis de potus frigidi et aëris uſu, antiquis ex ſcriptoribus citatis, unum tantum addam, quod Profeſſor

* Celſ. Praef.

† Mercur. tract. de Feb. lib. v. cap. 5. p. 635.

feſſor noſter Gregory, potu aegrotantium diſceptato, profert. " Pura autem aqua fontana, " praeſertim recens et frigida, optimus et saluberrimus, et fere gratiſſimus ſitientibus, ſive " ſanis ſive aegris, potus eſt; nimirum qui " ſitim reſtinguit, corpus refrigerat, acria diluit " et ſic obtundit, urinam et ſaepe ſudorem " movet, noxia expellit, putredini obſtat, con- " coctioni opitulatur, et demum ventriculum " roborat." Idem paulo inferius, de aëre loquens, meminit: " Purus praeterea aër corpus " reficit atque refrigerat, vires fortaſſe multum " labefactas confirmat, cibi appetitum et con- " coctionem juvat, et putredini fortiter occur- " rit praeſertim frigidulus. In acutis morbis " apprime neceſſarius ſit, propter rationes ſatis " manifeſtas; praeſertim in febribus a contagio " ortis. In omnibus iſtiuſmodi morbis, aër " purus, et quam ſaepiſſime renovatus, ſalutaris et neceſſarius eſt."

Hujuſmodi

Hujuſmodi aliorum demum ſententiis omiſſis, primum ad curandi morbos febriles conſilia animum advertam, atque paucis de quibuſdam eorum generibus, et curatione frigoris auxilio, diſſeram. Indicationes a Profeſſore noſtro Cullen tres recenſentur : *Reactionis*, nimirum, violentiam minuere ; removere cauſas et debilitatis effectibus obviam ire ; atque fluidorum ad putredinem opportunitati obſtare vel hanc corrigere. Hae omnes quidem minime cuique febris generi accommodantur : Aſt unum aut alterum conſilium, prout morbi natura ac ſigna diverſa poſtulaverint, inſequendum eſt.

DE INTERMITTENTIBUS.

Apud medicos primitivos, frigoris uſus in hiſce febrium generibus inclaruiſſe videtur.

" Ubi

" Ubi febris tertiana maxima, oportet," ait Galenus, " quam maxime refrigerare; ubi " vero non magna eſt, minime ad hanc extre- " mam refrigerationem confugiendum eſt." Ut ſupra jam dixi, frigori quandam vim aſtringentem et tonicam ineſſe, ita febrium intermittentium curationi quodammodo accommodatum eſſe cenſeo. In his primaria eſt indicatio, vaſorum tonum inter paroxyſmos ſuſtentare, eoque atoniae atque ſpaſmo imminenti reſiſtere. Si vero frigoris vires ita adminiſtrare et dirigere potuerimus, ut effectus jucundiores tonici ſolum comparentur, nullus ipſe dubito, quin in eo auxilium ſaepe praeſentiſſimum ſimus habituri. Quod ad modum ejus adminiſtrandi optimum ſpectat, me ignarum magna ex parte confiteor. At, quoniam vis frigoris, ab una corporis diffuſa, totum facile pervadat, ipſum refrigerare ventriculum, inter quem, ſcilicet, et caeteras ſyſtematis partes connexio prorſus mirabilis intercedit, ſatis aptum eſſe opinor.

Haud

Haud parum ſimul conſilium ſalutis adjuvabit, ſi, et ante, et ſub febris acceſſu, aër frigidulus liberius admotus fuerit. Ut hiſce frigoris effectibus fruamur, nec longum temporis ſpatium applicandum eſt, atque gradu minus intenſo; aliter, roborante effectu et ſtimulante amiſſo, ſedative aget, et injuria aegrotum afficiet. Uſus medicis quibuſdam fuit potum frigidum adminiſtrare, quam primum ſtadium incipit calidum et humoris ſigna apparent, quo facto ſudor citius movetur et ſolutio paroxyſmi, immo aliquando morbi, acceleratur. Riverius, intermittentium medelam tractans, ſic ſcribit: " In hac " curatione obſervandum eſt, ſpiritus ſulphuris " guttis viginti cum libra aquae frigidae exhi- " bitis, ſudores copioſos fuiſſe provocatos, quod " multis experimentis nobis innoteſcit, qui " plures tertianas febres curatas vidimus, eo- " dem remedio in ſummo acceſſionis aeſtu, et " urgente ſiti, exhibito, unde copioſi ſudores " provocabantur, a quibus non ſolum paroxyſ-

" mus,

" mus, ſed etiam totus morbus integre ſolve-
" batur."

DE SYNOCHA.

Si uſum antiquorum reſpicimus, huic quoque febris generi frigus intrepide adhibitum eſſe inveniemus. Praxin ſuam his verbis tradidit Celſus: " Si vero ardens febris extorret, con-
" clavi tenendus (aeger) quo multum et pu-
" rum aëra trahere poſſit; neque multis veſti-
" mentis ſtrangulandus, ſed admodum levibus
" tantum velandus eſt. Poſſunt etiam ſuper
" ſtomachum imponi folia vitis in aqua frigi-
" da tincta. Cum vero in ſummo incremento
" morbus eſt, utique ante diem quartum, magna
" ſiti antecedenti, frigida aqua copioſe praeſtan-
" da eſt, ut bibat etiam ultra ſatietatem; et
" cum venter et praecordia ultra modum reple-
" ta,

" ta, ſatiſque refrigerata ſunt, vomere debet *." Medici autem ſaeculorum recentiorum nonnihil de frigoris adminiſtratione in morbis inflammatoriis dubitarunt. Atque plurima quidem hujuſmodi mala, utpote quae a frigore ſubito et intenſius adhibito ſaepe oriantur, applicationem ejus ſumma cum cautela tolerant; namque aliter evenire poſſit, ut morbum, cui ſubvenire adhibitum fuerit, male adaugeat. " Non om-
" nes vero morbi acuti adeo frigidum aëra to-
" lerant, praeſertim quae a frigore collecto ori-
" untur, vel in quibus pulmones multum affici-
" untur, cujuſcunque fuerit originis †." Cum corporis calor in ſynocha plurimum augetur, atque pulſus obtinet citatior, validus, durus, quae diatheſin phlogiſticam fere notant, eſt manifeſtum, vim frigoris ſedativam adhibere tantum medicis licere. Quo feliciore cum eventu calori

* Celſus, lib. 12. cap. 6.

† Conſp. Med. Theor. 1038.

calori corporis accumulato obſiſtatur, gradus neceſſarius ſexageſimo ſecundo inferior erit. Sed hic memoria ſemper tenendum, quod eadem, quam maxime poſſit, aëris admoti temperies ſit; hujus mutatio enim ſeu vis frigoris relativa facile corpori ſtimulus fieri poſſet, quod ſynocha laborantibus non poteſt innoxium exiſtere.

DE TYPHO.

Cum in febre typhode ſumma debilitas, calor parum auctus, pulſus parvus, debilis, et ſenſorii functiones plurimum turbatae, ſeſe vulgo monſtrant, neceſſe, ut judico, erit, vires frigoris quodammodo diverſas ab modo poſitis decumbenti applicari: Eo, ſcilicet, gradu tantum admovendum eſt, quo ſtimulantes effectus et tonicos exequatur frigus; at vim ſedativam evi-

tare ſumma cautione ſemper oportebit. Huic conſilio praecipue ſatisfit, aquae frigidae copiam in ventriculum ingerendo, et ſimul omne corpus, ſed praeſertim extrema, eadem aſpergendo. In cubiculo aperto, quem aurae liberae perflent, aeger tenendus eſt : Hoc naturale eſt remedium, quippe quod nihil fere aut febricanti gratius aut avidius cupitum. Mich. Sarconi, medicus Neapolitanus olim celeberrimus, hancce methodum ſummis laudibus extulit. Morbus, maxime typhum ſimulans, per totam urbem graſſabatur, vaſtamque ſtragem civibus inferebat. Inter morbi ſaevitiam huic medico effectus frigoris experiri ſubiit. Praeter aquam egelidam, cum ſacchari paululo et limonum ſucci commiſtam, ad ſaporem gratum conſiliandum, nil potui praebebat. Periculum atque uſus omnino cedebant ſuis votis ; brevi enim morbus latius ſeſe diffundere ceſſabat, et, ejus viribus prorſus infractis, omnia per urbem in melius vertebantur. Quin et Cyrillus teſtatur,

qui

qui Neapoli quoque habitavit, ſe nec raro vidiſſe laetiſſimos effectus nive in pectora aegrorum typho laborantium impoſita produci. His adde hiſtoriam febris putridae a De Haen proditam, quae anno 1737 apud Uratiſlaviam invaleſcebat: Huic nullum praeſcriptum aeque ac frigidiſſima aqua, corpori univerſo admota, ſpongiae ope, proderat. "Juvat etiam," inquit Mercurialis de typho memorans, "ſtatim exponere "aegros aëri frigido, ventilare aërem, aſper-"gere faciem aqua gelidiſſima, aſpergere etiam "omne corpus *."

EXEMPLA.

1*mo*, A. B. annos 57 natus, intemperantiae omnigenae plurimum antea deditus, febre typhode

* Mercur. Tract. de Feb. lib. 5. cap. 14. p. 768.

phode corripiebatur. Symptomata ab initio peſſima erant, et ad diem decimum uſque graviter ſaeviebat. Hoc temporis medicus moribundum judicans decedebat, atque aegrotum nec ulterius ſe viſurum eſſe profitebatur. Decumbens interea amicos adſtantes hauſtum frigidum, ex quadam aquae ſcaturigine captum, flagitat. Huic ultimae appetitioni, et naturae niſui nihil tam avide petitum, retinendum eſſe cenſuerunt. Aqua egelida ei porrigitur, et hauſtus copioſi ſua ex cupidine poſt intervalla iterabantur. Mox, ſudore libere profluente, paulo melius ſe habebat, et paucos poſt dies, receſſis mali ominis ſignis omnibus, penitus revaleſcebat.

2*do*, J. T. viginti annos natus, contagioni expoſitus, fuit correptus dolore capitis violento, nauſea, ſolitiſque pyrexiae ſignis. Nulla remedia per plures dies praebebantur, dum in cubiculo calido tenebatur aegrotus: Nunc tumeſcebat

cebat abdomen, areſcebat lingua ſorde obducta: Arteriarum pulſus centum ſuperabat atque abnormis erat. Rebus, die ſeptimo, ſe ita habentibus, auxilium medici advocabatur; at medicamenta tamen decumbens nolebat. Cubiculum igitur perflari et lectum ſtragulis leviter ſterni juſſit; et inſuper potum frigidum, quantum voluerit, aegro dari. Protinus votis amicorum omnia cedebant, et poſt ſex circiter dies aegrotus ex omni periculo evaſerat liber.

His jam prolatis exemplis unum adjiciam, quod Doctori Gregory haud longe antea occurrebat, quodque in ſuis praelectionibus quotannis memorat. Quendam hominem febre laborantem triginta circiter ſex horas poſt invaſionem viſere acciebatur: Pulſum celerrimum, debilem, adeoque parvum et abnormem, ut vix numerari poſſet, inveniebat. Signa quaeque, ne morer, mortem eſſe propinquam teſtari videbantur. Quoniam, hoc temporis, demiſſo in cubiculo

biculo decumbebat aeger, ubi lectum ejus ſtratum in quodam parietis uventis cavo, aër diu ſtagnoſus mephiti venenato corruptus, atque caloris plurimum circa collectum fuerat, ex lectulo occluſo evehi, et in loco aperto, quem aurae libere perflarent, ſtatim deponi monebat. Hoc facto, pulſus protinus dimittit, aliaque indicia ſaeva aliquandiu miteſcunt: Tandem vero, viribus jam antea infractis, morti aeger occumbebat.

Doctor Wright, omni fide dignus, cum menſe Septembri navem in ſinu de Montego Jamaicae, ad Europam navigaturus, conſcendiſſet, febris hiſtoriam qua correptus eſt, poſtquam contagioſis effluviis expoſitus fuerat, his verbis narravit:

"September 5th, 6th, 7th. Small rigors "now and then—a preternatural heat in the "ſkin—a dull pain in the forehead—the pulſe

"ſmall

" ſmall and quick—a loſs of appetite, but no
" ſickneſs at ſtomach—the tongue white and
" ſlimy—little or no thirſt—the belly regular—
" the urine pale and rather ſcanty—in the night
" reſtleſs, with ſtartings and delirium.

" September 8th. Every ſymptom aggra-
" vated, with pains in the loins and lower
" limbs, and ſtiffneſs in the thighs and hams.

" I took a gentle vomit on the ſecond day
" of this illneſs, and next morning a decoction
" of tamarinds; at bed-time, an opiate, joined
" with antimonial wine; but this did not pro-
" cure ſleep, or open the pores of the ſkin. No
" inflammatory ſymptoms being preſent, a
" drachm of Peruvian bark was taken every
" hour for ſix hours ſucceſſively, and now and
" then a glaſs of Port wine, but with no appa-
" rent benefit. When upon deck, my pains

" were

" were greatly mitigated ; and the colder the
" air the better.

" This circumſtance, and the failure of every
" means I had tried, encouraged me to put in
" practice on myſelf what I had often wiſhed to
" try on others in fevers ſimilar to my own.

" September 9th. Having given the neceſ-
" ſary directions, about three o'clock in the af-
" ternoon, I ſtripped off all my cloaths, and
" threw a ſea-cloak looſely about me 'till I got
" upon deck, when the cloak alſo was laid
" aſide : Three buckets full of cold ſalt water
" were then thrown at once on me ; the ſhock
" was great ; but I felt immediate relief. The
" headach and other pains inſtantly abated, and
" a fine glow and diaphoreſis ſucceeded. To-
" wards evening, however, the febrile ſymp-
" toms threatened a return, and I had recourſe
" again to the ſame method as before, with the

" ſame

" ſame good effect. I now took food with an " appetite, and, for the firſt time, had a ſound " night's reſt.

" September 10th. No fever, but a little " uneaſineſs in the hams and thighs: Uſed the " cold bath twice.

" September 11th. Every ſymptom vaniſh- " ed; but, to prevent a relapſe, I uſed the cold " bath twice *."

DE VARIOLA.

Medicis Europeis longum per tempus opinio erat, frigus in hoc morbo adhibitum, utpote

* London Medical Journal, vol. 7. p. 110.

quod inflammationem jam magnam adaugeret, multum periculi ſecum allaturum eſſe. Ii autem hodie medicinam ubique terrarum facientes, vel praeceptis, vel experientia inſtructi, probe norunt aëra admiſſum frigidum, frigidum potum, et omnigena denique frigerantia, auxilia eſſe ad huncce morbum teterrimum feliciter adminiſtrandum praeſtantiſſima. Profeſſor Cullen, frigus, quamprimum febris *eruptiva* ſe monſtravit, intrepide applicatum maxime commendat. Ægrotum non ſolum aëri frigido, ſed, ut is monet, algenti exponendum; et ſimul aquam algidam potui porrigendum eſt. Hic quidem uſus olim inter Indiae Orientalis quoſdam, et nuper harum regionum borealium incolas, tam abundanter amplis et laetis experimentis comprobatus eſt, ut nullo fere commentario egeat. Ad variolae ſpeciem illam, confluentem appellatam, praecipue accommodari habetur; quippe hic, ſigna omnia graviora in putredinem, cum fluida, tum ſolida, feſtinanter rapiunt. Aſt debilitati

bilitati et putredini reſiſtere nullum fere auxilium efficacius datur, quam frigus tonicum et ſtimulans.

En exemplum, C. G. annos novemdecim nata, habitus robuſtioris, diſcreta variola capta eſt. Febris primum modica, poſtea calore imprudenter matris ejus ſedulitate adhibito, violentiſſima fiebat; ſupervenit delirium, nec mors procul abfuit, ni medicus opportune advocatus, aëra in dormitorium admitti juſſiſſet, et cereviſiam tenuem atque aquam frigidam acidulatam copioſius exhiberi. Hoc ex tempore metuenda omnia paſſu recedebant, aegraque nec multo poſt prorſus ſana fiebat.

DE RUBEOLA.

Medicorum nonnulli frigus applicatum aeque variolae et morbillis esse profuturum sibimet persuaserunt. Hanc opinionem assumpsisse videntur illam propter similitudinem, quae, primo aspectu, inter illos morbos obtineat. Cum vero catarrhi signa satis saepe violenta rubeolam ut plurimum comitantur, imo vero magnam morbi constituunt partem, frigus liberaliter in his exemplis admotum timendum esse judicamus. Nec, scilicet, ullius usus, quantum novimus, rem ipsam factis periculis comprobatam reddit: At, etsi parum profuit frigus in hoc morbo ad exitum feliciorem ducendo, tamen semper ab nimio calore cavendum est; hic enim

enim accumulatus nec minus curationi, praeſertim ſi ſubſint ulla putredinis ſigna, oberit.

DE PESTE.

Peſtis phaenomenis, ut auctoribus deſcripta fuerunt, reſpectis, facile nobis perſuaſum erit, frigus pleraque alia remedia hic etiam longe anteire; actiones laeſae animales, ſtupor, vertigo, anxietas, ſyncope, pulſus parvus, abnormis, ſimul cum nauſea, vomitu, et ſimilibus, ſatis ſuperque debilitatem ingentem corpori ineſſe docent, et vim generis nervoſi infractam, imminutam, admodum fatiſcere. Bubones, ut et anthraces, morbi fere ſemper comites, fluidorum acrimoniam manifeſte notant. Petechiae, haemorrhagiae, et diarrhoea liquans, et fluidorum et ſolidorum vitia oſtendunt. Iſta indicia aux-

auxilium medicum quam citiſſime ſibi poſtulant; at nullibi, ut ſupra dixi, confugere cum majore commodo quam ad frigus licet. Haec praxis magnis laudibus a Rhaze effertur his verbis: " In febris peſtiferae curatione aqua " frigida propinanda; ſuccus medicatus ex ſuc- " cis acidis et acerbis, et aſtringentibus; de- " cumbant in locis frigidis; domus ipſa non " ſolum frigida, ſed et aëri undique expoſita, " flatulentaque ſit; ſolium ipſius ſpargatur aqua " frigida et aceto *." Maxime debilitati et putredini obviam eundum eſt, ut monet Cullen, tonica adhibendo; horum autem praecipua ſunt potus frigidus et cortex Peruvianus. Narrationes prorſus mirandae a medicis quibuſdam Ruſſicis de hujus morbi curatione, frigore applicato, proditae ſunt. Samoilowitzius effectus glaciei praeſtantes, quocum totum aegroti corpus perfricabatur, his verbis narravit: " Ce ſont " autant

* Rhazes de re med. lib. 10. cap. 16. p. 302.

" autant de faits reels, par leſquels je puis me
" flatter d'avoir ſauvé la vie ces trois individus,
" qui etoient tout prets de mourir, lorſqu'ils
" ſont tombés entre mes mains ; ſans parler de
" pluſieurs autres, ſur leſquels j'ai employé ces
" Frictions Glaciales, avec le plus grand ſuc-
" cés *."

DE MILIARIA.

Hic morbus forſitan ſemper pro ſymptomatico habendus eſt. " Morbis febrilibus quibuſ-
" cunque," ſic ſcribit Cullen, " tum inflam-
" matoriis, tum putridis, aliquando adjungitur ;
" in nullis tamen, niſi regimine calido et ſudo-
" ribus

* Memoire ſur la Peſte de Moſcou, ſeconde partie, obſervation 3me ſur les Experiences de Frictions Glaciales, p. 199.

" ribus praeuntibus, ortum, et in pluribus, regi-
" mine temperato, et ſudoribus vitatis, mor-
" bum, alias expectandum, prorſus vitatum ob-
" ſervavi." Quocirca, quin huic malo proſit frigus, tum aqua tum aëre admotum, nullus ipſe dubitarem.

Finem huic medicae opellae, qualiſcunque ſit, impoſiturus, VIRUM ſtirpe nobili, etiam a regibus ortum, artibus liberalibus probe imbutum, atque mihi prae aliis amicum laudibus, ut, aequum eſt, efferre quam maxime laetor. Mi juratiſſime AMICE! ut hic mihi dies jucundus eſt! qui ſummam inter nos neceſſitudinem praedicandi hanc occaſionem praebet. Tua ob conſilia acceptiſſima, mihi ſtudiis in hac alma Academia incumbenti tam ſaepe oblata, vix grates dignas perſolvere poſſum. Vigeat diuque floreat Amicitia! Vale!

F I N I S.

BRITISH MUSEUM 15 66 SEP